

ij

P R A E F A T I O .

Latinas sine Graeco textu, Ambrosii, Zini, Vossiique versiones, aut Graecam ipsam Oxoniensem editionem sine Latina interpretatione viderant: ut nimirum Graecis, Syriacisque una cum Latinis frui liceret. Id quoque postulare videtur & illustrium Interpretum, qui in hoc scriptiois genere claruerunt, dignitas, & praestantissimum, quibus usi sunt, Graecorum Codicum auctoritas, ut, quandoquidem Graecum ipsum textum, quem adhibuere, consulere nobis non conceditur, expressas ex illo quam fidelissime, ut par est credere, sententias, quae cum Graecis nostris exemplaribus parum consentiant, tamquam variantes lectiones, non tamquam allucinationes existimemus.

Atque hunc nobis ordinem in ista editione servandum tum ratione, tum aliorum exemplis, Te ipso etiam mandante, EMINENTISSIME PRINCEPS, constituimus. Quum vero ex plurimis Graeci textus exemplaribus nullum nobis obtigerit, quod plane cum altero conveniat, sive in dispositione ac numero Tractatum, sive in omnimoda titulorum, verborum, sententiarumve conformitate; Oxoniensem Textum anno Christi 1709. luculentis Theatri Sheldoniani typis editum praeter ceteris selegimus, quem nobis veluti archetypum proponeremus; suppletis tamen, quae frequenter occurrunt, lacunis, additisque non raro ex vetustissimorum voluminum fide emendationibus sive appendicibus, quae omnino visae sunt necessariae.

Latinam autem versionem a Gerardo Vossio vulgatae praesens vestigiis, quantum fieri potuit, sequi decrevimus; non quod illam interpretationibus Ambrosii, Zini, aliorumque praefereamus: (sua enim cuique laus debetur, nec quidquam claris viris detractum volumus;) sed quia & plura Vossius Ephraemi opera, quam alii, e Graeco transtulit, & elaborata ab ipso editio, quum saepius recusa sit, omnium manibus teritur. Non sic tamen eandem sequimur, ut saepissime non deferamus: adeo enim a Graeco textu passim recedit, ut nova fere interpretatione in nonnullis tractatibus opus sit. Quis vero Latine Graecaeque doctus non subiraletur nobis, si Vossianam versionem integram servaremus, ubi Graecus textus e regione positus aliam sententiam completitur?

Quumque laudata Oxoniensis Graeca editio una cum Latina versione Tomos duos efficiat; supplementa bene multa, quae nobis Vaticani, Palatini, Urbinate, Alexandrini, Clementini, Basiliani, Barberini, Otthoboniani, Ambrosiani, Mediceo-Laurentiani, Caesarei Vindobonenses, & Coisliniani sive Segueriani Codices suppeditabunt, Tertium Tomum constituent, rejectis ad ejus calcem, quas supra diximus, variantibus Graecis Latinisque lectionibus. Syriaca opera, quae summo studio ac fide viri doctissimus aequae ac amicissimus Petrus de Benedictis Societatis Jesu, Syrus Maronita, in Latinum transferenda suscepit, Quartum, Quintum Sextumque Tomum omnino constabunt; et si Typographus in Monito ad Sacrarum Literarum studiosos, duobus prioribus Graecum textum, tertio Syriacum absolutum iri praedixerit: nondum enim Graecos, Syria-

cosque Sancti Patris tractatus per Catalogi seriem a nobis relatos viderat: tot autem, tantique sunt, ut sex Tomos iusta molis haud dubie conficiant.

Sicut vero in hoc primo Tomo de rebus gestis scriptisque Sancti Ephraem Syri Graecorum Latinorumque veterum testimonia praemittimus: recentiorum quoque Auctorum de ejus libris, editionibusque judicia referimus: quae demum Latine seu Graece prodire, quaeque manu scripta in celeberrimis Bibliothecis servantur, enumeramus: ita in quarto Tomo, qui operum Syriacorum primus erit, quaecumque ad Sancti Doctoris vitam, libros, editiones, Syriace, Arabice, aliisque Orientalium gentium sermonibus vulgatas, Codicesque manu exaratos spectant, eodem plane ordine tractabimus. Quo fiet, ut collatis omnium sententiis, comparatisque quos singulae nationes habent, hujus Patris tractatibus, & vitam ipsius accurate digerere, & scriptorum summam per numeros colligere valeamus.

Hoc sane opus si Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Carolus Majellus, Archiepiscopus Emislenus, Pontificiarum ad Principes viros literarum a Secretis, Bibliothecae nostrae Custos primarius, tractandum suscepisset, numeris omnibus absolutum prodidisset. Verum graviora Sedis Apostolicae negotia doctissimum virum studiis hujuscemodi vacare non sinunt. Id itaque a Te ONUS, PRINCEPS EMINENTISSIME, majus quidem quam humeri ferre possunt, mihi imponi visum est: eo, ut arbitror, consilio, quod Syrum Doctorem a Syro homine, si non pro dignitate, saltem cum toto animi studio virumque conatu accipiendum esse existimasti: qui ex assidua laudati clarissimi Praefuli consuetudine atque contubernio, quibus me frui multis jam annis humanissime concessit, tum in hoc, cum in aliis literariis studiis me summopere profecisse testatum facio.

Quid igitur in ista editione a Te nobis demandata praestiterimus, per literas Tibi significandum duximus, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, ut quoniam ipse hic in Urbe praesens plerique prioris hujusce Tomi folia & spectata & probata; ea quoque benigne humaniterque excipias, quae post tuum discessum perfecimus. Confidimus autem fore, ut Tibi gratum jucundumque accidat, quidquid ex Bibliotheca Vaticana, cui dignissime praes, ad rem literariam, & hanc praesertim Ecclesiasticam, quam ipse imperasti, promovendam, pro modulo nostro proficitur. Plurimum vero afficimur, quod Bibliothecarius tam procul a Bibliotheca abesse cogatur, cujus eximium erga illam amorem praestantissimis cujusvis generis & facultatis libris dono datis experti sumus. Est tamen, quod multum nobis de summa Sanctissimi Patris CLEMENTIS XII. Pontificis maximi benignitate polliceamur, qui quum digna Pontifice cura animum ad amplianda Apostolicae Bibliothecae spatia applicuerit, pluteosque & armaria excipienda tuis, aliisque voluminibus tam munifice & tam large fieri iusserit, pari liberalitate efficiat, ut Bibliothecarium suum eadem Bibliotheca diutius non desideret.

Romae ex Bibliotheca Vaticana VI. Kal. Augusti,  
Anno Domini MDCCXXXII.

JO-